

ad existendum, vel non existendum. Et sic licet causalitate, et ordine naturæ præcedat existentiam objecti, non tamen duratione, et terminatione; sufficit autem ad scientiam visionis, quod simul co-existat, et duret cum suo objecto, non vero requiritur quod nec etiam prioritate causalitatis, et naturæ præcedat.

XI. Dices: Ergo saltem ille prior actus intellectus divini ante imperium, qui regulat, et proponit voluntati ut eligat, et velit rem ante executionem et usum solo actu electionis, erit actus simplicis intelligentiæ, si quidem non supponit decretum liberum voluntatis, sed præcedit illud, ergo jam scientia simplicis intelligentiæ erit causa futuritionis, in quantum movet voluntatem ad eligendum determinate illud futurum, inde enim ejus futuritio dependet. Respondetur illam cognitionem non respicere rem formaliter, ut futuram, sed radicaliter, id est, solum respicit convenientias, quas ratio proponit voluntati, ut determinate velit rem hanc esse futuram, cum indifferentia etiam ad oppositum, inde tamen initiatur futuritio, seu executio. Unde ex vi hujus propositionis nondum potest videri res futura determinate, nec actus ipse divinæ voluntatis ut futurus, sed voluntas ipsa absolutissime se determinat tamquam primum liberum ex eminentia suæ infinitæ actualitatis, qua eodem actu potest approbare objectum, aut rejicere (quod formaliter dicitur quam velle, et non velle, quia ly velle stat pro actu, et sic necessario est in Deo subjective, cum sit ipsa ipse Deus, sed non necessario objective, cum non acceptet necessario objectum) non autem ex aliqua motione, aut impressione determinatur, sicut secunda libera, quæ in eliciendo, vel non eliciendo actus, determi-

nantur a primo libero. Sic ergo illa prima intellectus propositio solum repræsentat convenientias voluntati, ut se determinet, seu ut de objectis determinet, non vero determinate, et executive repræsentat convenientias voluntati, ut se determinet, seu ut de objectis determinet, non vero determinate, et executive repræsentat futura. Et sic non est inconveniens, quod ille actus pertineat ad cognitionem simplicis intelligentiæ, cum non fundetur in libero decreto, est tamen principium radicale liberæ determinationis, non ut est simplicis intelligentiæ pure speculative, sed ut est practica cognitio dirigens, et proponens convenientias ad eligendum, quæ respicit rem adhuc sub statu possibilitatis formaliter, et absolute, cum convenientia tamen ut transeat ad statum existentiam. Formaliter autem ut existens non videtur, nisi per cognitionem directivam executionis et supponentem determinationem voluntatis, et tunc est scientia visionis, quia tunc primo est executio, et exercitium existentiam objecti.

XII. Circa secundum punctum, quod supra proposuimus, scilicet an scientia approbationis sit media, et distincta a scientia simplicis intelligentiæ, et visionis, fuit sententia m. Joannis Vincentii relectione de gratia Christi, quæst. vi, dub. i, pag. 617, distinguendam esse scientiam approbationis ab utraque ista scientia, quia scientia approbationis respicit res, non ut futuras, sed ut faciendas, et sub hoc respectu distinguitur a scientia simplicis intelligentiæ, quæ respicit illas, ut pure possibles, et a scientia visionis, quæ respicit illas, ut pure futuras. Eandem sententiam aliqui attribuunt Molinæ in præsentis quæstione, art. xiii, disp. xvii, §. Triplicem scientiam, sed ibi non agit de scientia ap-

probationis, ut media inter scientiam visionis, et simplicis intelligentiæ, sed de scientia conditionata media inter liberam, et necessariam, de qua agemus infra disputatione xx.

XIII. Oppositum tamen tenendum est et dicendum cum communi sententia Thomistarum, scientiam approbationis esse scientiam visionis, quatenus respectu creaturarum visionis est, nam ut est scientia visionis respectu Dei, clarum est, quod non indiget approbatione, ut videatur, quia ens necessarium est, et ejus existentia ab approbatione libera Dei non dependet. Loquendo autem de scientia visionis creaturarum, in quibus existentia pendet a libera determinatione voluntatis divinæ, necesse est quod scientia visionis, ut tendens ad existentiam creaturæ importet ordinem ad voluntatem approbantem, in eaque fundetur, et quatenus voluntatem respicit sit scientia approbationis, id est, in approbatione fundata, et in vi approbationis operans; in quantum autem respicit existentiam rerum dicitur visionis. Sed tamen ut visionis, et respiciat existentiam, exigit necessario, quod sit etiam approbationis; et hoc modo dicimus eandem esse scientiam approbationis, et visionis, non quia sit idem respectus, et connotatio ly visionis, et ly approbationis, cum approbatio respiciat voluntatem approbantem, visio existentiam rei approbatæ, sed quia uterque respectus requiritur ut scientia visionis sit, eo quod non potest tendere per modum visionis ad existentiam rei, nisi fundetur in respectu approbationis, illumque supponat, alias non respiciet existentiam rei per modum scientiæ causantis.

XIV. Ratio ergo est, quia scientia visionis in Deo per locum intrinsecum habet respicere objectum suum ut causatum, et derivatum a se, lo-

quendo de objecto creato, eo quod objectum creatum existens respicitur a scientia Dei, ut objectum secundarium, quod a se dependet, non scientia ab ipso, ergo necessario debet importare, et respectum ad existentiam rei, et rationem, seu modum causandi illam, et derivandi a se, sed ut derivetur a se, debet supponere approbationem voluntatis, et in eo fundari, ergo debet esse scientia approbationis, quia scientia approbationis est illa, quæ in voluntate approbante fundatur, et illam sequitur, scientia ergo visionis respectu objecti creati necessario etiam est scientia approbationis, si quidem est scientia habens efficaciam erga objectum suum, ut illud reddat existens non supponat, nec ab eo pendeat, sed potius objectum ab ea derivetur, efficacia autem operandi, et movendi a voluntate est. Nec dici potest, quod scientia illa, seu cognitio, quæ antecedit approbationem voluntatis, et est principium, ac regula illius, illa est scientia approbationis, quia approbationem regulat, et principiat, et sic respicit convenientias rei ut fiat, non autem ut jam factam, ut volitam, et approbatam supponit, et respicit. Nam contra est, quia illa cognitio regulativa voluntatis, et proponens convenientias, nondum est approbationis determinate, sed cum indifferentia, potest enim voluntas pro sua libertate non eligere, nec approbare illud præsertim in Deo, qui æque præsentem habet convenientias ad volendum, aut nolendum, et eodem actu potest velle, et nolle, ergo scientia non dicitur approbationis determinate, et proprie, nisi illa, quæ determinationem, et approbationem voluntatis supponit, et in illa fundatur, non antecedit approbationem, et ex qua potest non sequi approbatio. Quare cum voluntas post electionem faciat impetum ad executio-

nem rei approbatæ, et electæ et dirigat talem executionem per intellectum, seu actum imperii, illa proprie dicitur cognitio approbationis, quia ex approbatione oritur, et simul visionis, quia ad executionem tendit, executio autem importat existentiam in exercitio, et hæc terminat visionem. Et sic manet solum fundamentum oppositum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo, arguitur ex auctoritate Div. Thomæ, articulo VIII hujus quæstionis ubi dicit: « Quod illa scientia est causa rerum quæ cum de se sit indifferens ad opposita, ex determinatione voluntatis producit determinatum effectum, » sed scientia visionis non se habet ad opposita, neque indiget determinari per voluntatem, si quidem in ipsa determinatione voluntatis fundatur, ergo scientia simplicis intelligentiæ, et non visionis erit causa creaturarum, adjuncta tamen determinatione voluntatis. Item D. Thomas in quæstione II de verit. artic. XIV, in corpore et ad II, expresse docet, quod res non sunt a Deo per scientiam, sed per libertatem voluntatis, et idem docet in I, dist. XXXVIII, quæst. I, art. I, ergo causalitas rerum soli voluntati adscribenda est non scientiæ visionis, et sic ruit nostrum fundamentum, quod ideo scientia visionis est approbationis, quia est causa rerum.

XVI. Respondetur D. Thomam in illo primo loco solum affirmare, quod forma intelligibilis, quæ secundum se, est indifferens non causat nisi adjuncta determinatione voluntatis, quæ negativa verissima est. Quod vero adjuncta determinatione voluntatis non oriatur cognitio, seu scientia, qua ex vi talis determinationis exequendo rem volitam sit

scientia visionis, D. Thomas ibi non dicit, nec ex illa negativa potest inferri, nec enim dicit ibi D. Thomas ex determinatione voluntatis non resultet scientia visionis, quæ etiam sit causa rerum quoad executionem: imo quod ipsa scientia, quæ attingit futura (quæ utique visionis est) habeat rationem causalitatis, et sit causæ, quod ipsæ res sint futuræ expresse illo articulo VIII, docet Div. Thomas explicando verbum Originis ad primum. Ad alia loca D. Thomæ respondetur eodem modo, quod scientia Dei non est causa rerum ex eo præcise quod sit scientia non adjuncta determinatione voluntatis, qua posita Deus non solum per scientiam, quatenus proponit voluntati, ut eligat, sed etiam quatenus dirigit executionem rerum causat illas, et simul videt. Unde dicit II contra gentil. capite XXIV: « Quod Deus agit per suam sapientiam, quia ratio fabricabilium est ars, et artifex per ordinem suæ sapientiæ, et intellectus artificia in esse producit. »

XVII. Secundo arguitur, quia id quod est visionis, et intuitionis in scientia Dei præcise respicit rem, ut existentem contemplando eam, ut objectum, ratio autem causalitatis antecedit existentiam, cum sit causa illius, ergo implicat quod formalitas visionis sit formalitas causalitatis, et sic solum comitanter, et identice scientia visionis est causa rerum, quod nullus negat, neque de hoc est aliqua difficultas, sed an formaliter sit causa rerum, nam identice scientia visionis, et simplicis intelligentiæ unum sunt. Confirmatur, quia scientia visionis supponit voluntatem libere, et efficaciter determinatam ad causandum, ergo ipsa non addit aliquid, quod ad causalitatem efficacem, et in exercitio pertineat. Antecedens est certum, et nos admittimus. Consequentia vero probatur, quia voluntas efficaciter

determinata, de se est applicata ad operandum, alias efficax non esset, et habet omne, quod requiritur ad causandum tam ex parte efficacæ, quam applicationis, quia ultimate determinata est ex se, ex parte etiam directionis intellectus præsupponit omnem directionem requisitam, quia illa voluntas ut sit efficax præsupponit antecederet intellectus regulationem, et directionem, ergo scientia visionis, quæ fundatur super istam voluntatem efficaciter determinatam, et applicatam, non potest causare rem volitam. Probatur consequentia, quia causare rem volitam est dare illi existentiam, sed antecederet ad ipsam scientiam visionis jam voluntas efficaciter tendit ad existentiam rei volitæ, si quidem si est efficax voluntas non tendit ad rem abstrahendo ab existentia; ergo intendendo illam, et attingendo: ergo si est efficax plene, et perfecte sicut est voluntas divina ex se sola, jam constituit illam existentem, ergo scientia visionis superveniens non præbet istam existentiam, sed supponit.

XVIII. Denique confirmatur, quia scientia visionis si causat res maxime ut scientia artificis, quæ est scientia practica, ut sæpe dicit S. Thomas, sed scientia artificis non fertur intuitive in arte factum, nisi postquam factum est, non vero dum ordinat, et dirigit ejus executionem, ergo neque scientia visionis. Minor constat, quia antequam arte factum sit productum non est existens, ergo neque coexistens in duratione ipsi cognitioni, et consequenter neque intuitive cognoscitur ab arte.

XIX. Respondetur nos non negare quod formalitas, seu respectus visionis ut visio, et formalitas seu habitudo causalitatis, diversæ sint ex genere suo, et separatim aliquando inveniuntur, sicut Deus videt se, et non causative; et non videmus mul-

ta, et non causamus, sed dicimus scientiam visionis in Deo respectu creaturarum necessario postulare utramque formalitatem, et unam fundari in alia, scilicet ratio visionis in ratione causalitatis, eo quod respicit per visionem res creatas ut existentes ex vi talis scientiæ non per existentiam præsuppositam, sed a se derivatam, et sic datur aliqua visio, quæ postulat per locum intrinsecum habere adjunctam productionem sui objecti, eo quod respicit illud, ut a se procedens, sicut generatio, qua Pater æternus generat Filium, est visio illius intuitiva, et tamen respicit illum, ut procedentem a se, quia essentialiter est visio generativa. Sic visio creaturarum est visio creativa, quia efficax est suo dicto, imperio producere, et dare existentiam: *Ipse enim dixit et facta sunt, mandavit, et creata sunt*, Psal. CXLVIII, et sufficit ad hoc, ut aliqua cognitio sit intuitio, quod in eadem duratione, et instanti quo terminatur sit res illi coexistens, licet secundum aliquam prioritatem naturæ, et causalitatis, cognitio antecedit objectum.

XX. Ad primam confirmationem respondetur, quod voluntas est efficax in duplici ordine, scilicet ordine intentionis, et effectus, et ordine executionis seu effectus. Cum ergo voluntas dicitur efficax antecederet ad scientiam visionis, est quidem sufficienter, et plene efficax in ordine intentionis, et secundum affectum, et electionem, nondum autem intelligitur plene, et sufficienter efficax in ordine executionis, sed dependenter ab aliis actibus, et conditionibus requisitis ut exeat in executionem, et sequatur effectus, eo quod voluntas licet per se efficaciter velit, non tamen efficaciter operatur, nisi per potentias executivas, quibus tamquam instrumentis, seu virtutibus utitur ad operandum, et

sic executioni mandat mediantibus illis. Unum autem, et principale executivum post electionem est imperium intellectus, quo ipsa executio ordinatur, eique efficaciter incumbitur, et similiter voluntas suo usu applicat potentias executivas, ut ex imperio intellectus ordinate, et directe, et ex usu voluntatis voluntarie ad opus applicentur. Sic ergo efficacia voluntatis ad volendum, et ad habendum affectum, erga res producenda ante scientiam visionis, quæ imperio practico fungitur, habetur; sed efficacia exequens de facto, et operans seu ad executionem dirigens, et incumbens dependet ab actu intellectus imperante, reliquisque potentiis executivis. Et cum instatur, quod illa voluntas efficax antecedens scientiam visionis, et imperium practicum non abstrahit ab existentia, sed illam efficaciter causat, dico quod non abstrahit ab existentia, quasi versetur circa possibilia, sed existentiam respicit, ut volitam quidem a se immediate, ut executam autem, et positam in re mediante imperio intellectus et aliis potentiis, vel instrumentis, quibus de facto ponitur in re. Non ergo sequitur, est efficaciter volita ante scientiam visionis, et ante imperium practicum, ergo efficaciter executam, et sic jam scientia visionis præsupponit existentiam, non causat: dicimus enim quod licet sit efficaciter volita ante illud imperium practicum, et scientiam visionis, sed nondum executam, si quidem voluntas executioni mandat mediante imperio intellectus, et potentiis executivis, et sic quousque ponatur hoc imperium, nondum res intelligitur executam, et consequenter neque intuitive visa, quia intuitio fertur super rem ut executam, ante executionem enim non intelligitur ut existens, seu coexistens, in duratione cognitioni ipsi.

XXI. Ad secundam confirmationem respondetur S. Thomam comparare operationem Dei operationi artificis remotis imperfectionibus: conveniunt enim in hoc, quod uterque procedit per directionem, et ordinationem intellectus, sed differunt, quod artifex creatus non operatur nudo et solo imperio, et neque in solo instanti, et sine mora temporis, aut applicatione activorum, et passivorum, Deus autem dixit, et facta sunt. Unde hoc ipso quo Deus vult, et intellectus imperat, res sunt pro eo tempore, et mensura, quo vult esse, licet æternitas, quia illud imperium et actum mensurat jam præhabeat ratione illius actionis æternæ, id quod in tempore habiturum est esse, quia mensurat, actionem, quæ pro suo beneplacito in tempore quo voluerit dabit esse: *Quia tempora, et momenta Pater posuit in sua potestate*, ut dicitur Act. I. Videatur S. Thomas in I, dist. xxxviii, q. 1, art. 1, ubi comparat causalitatem divinæ scientiæ processui artificis in hoc, quod primo scientia artificis ostendit finem; secundo, voluntas ejus intendit finem; tertio, voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Ita D. Thomas confirmans, quæ hucusque tradidimus.

XXII. Ultimo arguitur, nam in Deo debet dari scientia aliqua visionis per modum puræ contemplationis, alioquin sola scientia practica erit scientia visionis in Deo respectu creaturarum, nec poterit habere speculationem circa creaturas existentes, quam tamen habent beati in Verbo videntes creaturas. Ergo illa scientia visionis speculativa distinguetur a scientia approbationis, quia hæc semper est practica, utpote habens adjunctam motionem voluntatis approbantis. Denique, formalitas scientiæ approbationis

est diversa a formalitate visionis, ut constat ex D. Thoma, quæstione III de veritate, art. III ad VIII, quia scientia visionis solum addit denominationem physicæ existentiæ ipsius objecti, scientia autem approbationis denominationem voluntatis moventis; sed distinctio scientiarum in Deo fit penes diversas denominationes, et connotationes, ut patet in scientia simplicis intelligentiæ, et visionis, ergo scientia approbationis distincta erit a scientia visionis.

XXIII. Respondetur quod visio creaturarum in Deo non est pure contemplativa sicut est visio, qua videt seipsum, sed etiam practica, et causativa objecti creati. Quod expressit S. Thomas in hac quæstione, art. XVI, dum inquit: « Quod Deus de se ipso habet scientiam speculativam tantum, de omnibus vero aliis habet scientiam speculativam et practicam, speculativam quidem quantum ad modum, quia quidquid in rebus speculative cognoscimus definiendo, et dividendo, hoc totum multo perfectius Deus novit: sed de his quæ potest quidem facere, sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam secundum quod practica scientia dicitur a fine, sic autem habet practicam scientiam de his quæ secundum aliquod tempus fiunt. » Et in solutione ad 1, docet: « Quod respectu eorum quæ secundum aliquod tempus fiunt Deus est causa in actu, respectu vero aliorum in virtute. » Ergo secundum D. Thomam scientia visionis creaturarum non est pure contemplativa, sed causativa, et practica, sicque debet habere adjunctam rationem approbationis. Neque est simile de scientia beatorum, quia licet videant Deum qui est causa creaturarum, ipsa tamen visio beati causa non est, sicut ipsa scientia visionis in Deo, et ideo illa

solum contemplatur creaturas in Deo viso.

XXIV. An vero hæc divisio scientiæ in scientiam simplicis intelligentiæ, et visionis sit adæquata non solum ex ea parte qua dicit rationem intuitivi, et abstractivi, sed etiam pro ea parte, qua dicit rationem liberi, et necessarii eo quod scientia visionis respectu creaturarum fundatur in libero decreto Dei, an vero detur aliqua scientia libera ex parte objecti, quia de objecto indifferenti, et contingenti, quæ non sit libera ex parte decreti Dei, seu ex parte subjecti, quod est Deus, sed præveniat omnem liberam voluntatem ejus, ideoque vocatur scientia media inter mere necessariam, et mere liberam, dicemus disputatione XX. Quomodo vero D. Thomas hic art. VIII ad primum, dicat res ideo esse futuras, quia a Deo præsciuntur, dicemus disputatione sequenti, et ex dictis colligi potest, loquitur enim de scientia futurorum, quatenus practica et causativa.

ARTICULUS IV.

Quomodo Deus cognoscat negationes, mala, et infinita?

I. Deum cognoscere mala et negationes, absoluta fides est, Isai. XLV: *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras*: Psal. CXXXVIII: *Imperfectum meum viderunt oculi*: Psal. LXXXV: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*. Nec posset Deus providentia sua, mala aut permittere, aut auferre, peccata remittere, vel punire, nisi ea cognosceret. Unde quando dicitur Habacue I: *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non potes*, ibi verbum videre sumitur pro approbare, ea enim libenter videmus, quæ approbamus. Similiter